



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XXIV. Quia liberare ê portis inferni potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

24. Quia liberare è portis inferni potest.

Quorundam enim Deus salutem ordinavit ut essent quidem in periculo damnationis, ab eo tamen per Virginem eriperentur. *Rutilius Bonzonius Episcopus Lauretanus in Psal. 86. cap. 32. refert in hanc rem historiam.* Matrona quædam in territorio Ligonenfi quoddam facinus in juventute commissum nunquam in spece confessa, & sic mortua à dæmonibus ad inferna rapiebatur. Illicò B. Virgo Hilium oravit, & vicit precibus, ut vitæ matronam redderet, eaque confessa in cœlum abiit. *Idiot. in Prologo.* Sæpè quos justitia Filij potest condemnare, Matris misericordia liberat, quia thesaurus Domini, & Thesauraria gratiarum ipsius, ditæ spiritualibus donis copiosissimè servientes sibi, & potentissimè protegit eos à triplici adversario, mundo carne, diabolo, quia salus nostra in manu illius est. *Et templ. 18. p. 4.* Tua Virgo omnipotentia manifestè ostenditur, quia multos de sua damnatione jam certos, multos in aquis præfocatos, multos ex improvise mortuos, qui dum caderent, tuo patrocinio se commendaverunt liberasti; multos etiam qui sine pœnitentia decesserunt in peccato mortali, à diaboli faucibus eripuisti, & ut possent agere pœnitentiam ad vitam reduxisti. *Et paulo post: Quæ autem iustitiæ aut quo jure tu salvas damnabiles, & sine pœnitentia defunctos in mortali, quis ad ista sufficit cogitanda; constat autem, quia & tu ita facis, & quia salvâ iustitiâ facis, integro tamen & illibato sigillo justitiæ, sic ingeniosè scis facere misericordiam, quia non frangis justitiâ.* *Cosmas Hierosol. hymn. 5.* Defensionem tuam habens, ô perquam pura Virgo! non timebo. *Yodocus Elibroevus lib. 1. de puritate Virg. cap. 15.* rem in præsentem materiam narrat. Sacerdos quidam commisso adulterio, Sequanæ aquas naviculâ solus superare volebat, ingressus navim, horas Divæ Matris decantare, quod & aliàs factitabat, incepit, & dum caneret invicatorium jam propè medium fluminis tenebat: abripuit hunc turba dæmonum simul cum navicula in profundum, & animam in tormenta abduxit, die tertiâ venit Mater Jesu stipata Angelis ad locum tormentorum dicens: Ut quid animam famuli nostri injustè affigitis? Cui dæmones. Nos eam debemus habere, & meritò, quia in nostris operibus capta est. Quibus Mater Jesu. Si illius debet esse cujus opera faciebat, ergò nostra debet esse, quoniam matutinas nostras dum vos eam peremittis decantabat, undè magis rei estis, qui minùs erga me egistis. His dictis fugati dæmones, anima ad corpus redijt: Virgo Sancta aquas jusit instar matris stare ab utraque parte, & viam facere, ut miser è profundo exire posset: tum ille ad Virginis pedes abjectus, Charissima mea Domina, inquit, & Virgo Speciosa Christi,

fit, quid tibi retribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi fecisti, liberasti me de ore leonis, & de tormentis inferni gravissimis animam meam. Cui Mater JEsu ait. Precor te nè de coetere in adulterij peccatum cadas, nè fiat tibi novissimus error pejor priore: precor te iterum ut de coetere festum Conceptionis meæ annuatim devotè celebres 6. Idus Decemb. & ubique celebrandum prædices. His dictis Virgo coelum repetijt, Sacerdos ex aquis egressus imperata executus.

Simile aliud refert P. Joannes Gans Imperatorius Concionator in *Quinquatua de Annunt. B. Virg. discurs. 2.* Puella nomine Alexandra à duobus procis petebatur, qui zelotypia ipsius capti, invicem se peremerunt: eorum affines acti dolore vindictam sumpturi Alexandram clam interfecerunt, & caput puteo injecerunt. Post quinque menses res S. Dominico Divinitus innotuit, jussusque à Deipara accedere puteum, & caput evocare, res mira! caput è profundo putei ascēdit, & professum fuisse sibi donatum à B. Virgine, nè impœnitens moreretur. Tum confessum S. Dominico, & ab eo absolutum expiravit. *ipsa Virgo S. Sma apud B. Brigitt. lib. 1. cap. 9.* hæc dixit. Omnes dæmones verentur hoc nomen (Maria) & timent, & audientes hoc, statim relinquunt animam de unguibus, quibus eam tenebant, sicut enim avis, quæ in prædam unguis, & rostrum habet, si audiērit sonum aliquem relinquit prædam, sic dæmones audito nomine meo, statim animam quasi territi relinquunt.

25. Quia mundi perditū est Inventrix.

S. Sabbat Men. 5. Jan. ode 9. In te primi parentis subsistit lapsus, ultra pergendi, facultate sublatā: nam per Filium tuum in baptismo instituto malum est omne submersum; te proinde honoramus veluti Causam obtentæ puritatis. Quare cum S. Joann. Damasc. *Ecc. Græca 27. Jan. ode 4.* Tu es aureum Thuribulum, Domina, illo immateriali, & oculis hominum intolerabili carbone refertum, in quo constagnavit rebellionis Adami chyrographum à Christo concepsum; undè magis te vocibus salutare debemus, ut per quam facta est omnibus gaudiorum, deliciarum, & fructuum coelestium copia, pro ijs quos in paradiso terrestri perdidimus, nimirum substituta: humanitas enim ita Divinitati in Christo unita, ut carboni accenso ignis. S. *Cesarius Dialog. 3.* Pro loco Virginis, nimirum Evæ, perpetuam Virginem Sanctam Matrem suam suscitavit, pro illius pœna, huic salutem per proprium servum Gabrielem misit, in hæc sanatū, quod illa deliquerat. *Serg. Hieropol. orat. de Natali Mariæ.* Quæ ex Davidico semine nascitur, vitæ Mater est, tenebrarum Expultrix, Adæ Reparatrix, Evæ Revocatrix, immortalitatis Fons,

O O

corru-